Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26196
Copyright: Admont, Benediktinerstift

dedit. In secundo se. Et ubi se dedit me mihi reddidit. Datus ergo et redditus.
me pro me debeo et bis debeo. Quid retribuam domino pro se? Nam etiam si me milies
rependere possem. quid sum ego ad deum? **Quomodo diligendus sit deus.**
Hec primum uide quomodo immo quam sine modo a nobis deus amari meruerit.
qui ut paucis que dicta sunt repetam prior ipse dilexit nos. tantus et tantum.
et gratis. tantillos et tales. Unde quod in principio dixisse me memini modum
esse diligendi deum. sine modo diligere. Denique cum dilectio que tendit in
deum. tendat in immensum. tendat in infinitum. nam et infinitus deus est
et immensus. quis non queso debeat finis esse nostri vel modus amoris?
Quid quod amor ipse noster non iam gratuitus impenditur. sed rependitur debitus?
Amat ergo immensitas. amat eternitas. amat supereminens scientie
caritas. amat deus cuius magnitudinis non est finis. cuius sapientie
non est numerus. cuius pax exuperat omnem intellectum. et uicem repen
dimus cum mensura? Diligam te domine fortitudo mea. firmamentum
meum et refugium meum et liberator meus. et meum denique quicquid opta
bile atque amabile dici potest. deus meus adiutor meus. diligam te pro dono
tuo et modo meo. minus quidem iusto. sed plane non minus posse meo.
Qui et si quantum debeo non possum. non possum tamen ultra quam possum.
Potero uero plus cum plus donare dignaberis. numquam tamen prout dignus
haberis. Imperfectum meum uiderunt oculi tui. sed tamen in libro tuo omnes
scribentur. et qui quod possunt faciunt. et si quod debent non
possunt. Satis quantum reor apparet et qua non modo deus diligendus
sit et quo merito suo. Quo inquam merito suo. Nam quanto
cui sane appareat. quis dicat. quis sapiat? Nunc quo nostro commo
do diligendus sit uideamus. Sed quantum est et in hoc uidere nostrum
ad id quod est? Hec tamen quod uidetur tacendum non est. et si non omnino
uidetur ut est. Superius cum propositum esset quare et quomodo diligendus
sit deus. duplicem dixi patere intellectum. id quod queritur quare.
ut aut quo suo merito aut quo nostro commodo diligendus sit. utrum
libet queri posse perinde uideatur. Dicto perinde de merito di